

056

054

060

050

065

045

105

005

155

Ende

Anfang

41

evasisse. Interea die secunda venimus Cyprum et ad portum Limovicensem applicuimus, quia ventus contrarius nos cœgit petere portum. Illo vento quiescente ad portum Nimonicensem navigavimus mansuri ibi per aliquot dies, quia dominus Patronus fratrem habuit cum Regina Cypri Nichosiae, cum quo tractatum habuit, cuius finem expectare nos oportuit. Expedito negotio solvimus triremem et cum magno desiderio proximum portum, in quem venturi eramus, desideravimus citius attingere. Nullum enim portum nisi terrae sanctae amplius habuimus. Tandem vento nos impellente tertia die terram sanctam vidimus, et p[re]a Jubilo: Te Deum laudamus, altisonis vocibus decantavimus, et proram contra portum Joppen, quam Japha vulgares nominant, direximus, et ante scopulos Andromedae, anchoris ejectis, navem stabilivimus. Statim autem Dominus Patronus emisit servum unum ad hoc dispositum, ut curreret in Jerusalem, et Patri Gardiano montis Syon nunciaret adventum nostrum, ut veniens cum Dominis et asinariis ducerent nos in Jerusalem. Et mansimus sic in Galêa expectantes conductores nostros VII. diebus; post quos in barceis educti sumus ad terram, et intrusi in vetustissima habitacula testudinata et ruinosa et foetida, in quibus una duntaxat nocte mansimus: et post hoc ad asinos nobis adductos transivimus, sedentes super eos, et ita a mari cum Sarracenis recessimus et in civitatem Rama venimus; in qua per aliquot dies commorantes inde Jerosolymam ingressi sumus; non in hospitale, sed in quandam domum in Mello locatam ducti fuimus; ibique comedimus et dormivimus etc.

Mansimus autem in terra sancta non plus quam IX. diebus, in quibus circuivimus omnia loca sancta communia, cum maxima festinantia, et die ac nocte in labore peregrinandi eramus occupati; et vix dabatur nobis tempus paululum quiescendi. Visitatis autem sanctis locis perfunctorie et domino meo Georio de Lapide, cum aliis nobilibus insigniis militiae in dominico sepulchro adornatis eduxerunt nos extra civitatem sanctam, per viam, qua veneramus ad mare, ubi nostra Galêa stabat. (16A) Porro nemo mansit de Peregrinis in Jerusalem nisi duo Angli volentes transire ad Sanctam Katharinam, cum quibus libenter mansissem, si Theutonicum

